



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

9. An ad inquisitionem factam specialiter de persona, generatim autem de crimine sufficiat Iudicis authoritas?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

CAS. huiusmodi inquisitionem mixtam esse inutilem cum rogatus non teneatur occultum delinquentem prodere, personam verò in communi delictum commississe. Respondetur eam inquisitionem adhuc deservire, ut si fortè reus jam infamatus fuerit, ignaro rei huius iudici manifestetur. AT traduci dices hac inquisitione simplices, dum putant se obligari ad detegendum occultum criminis auctorem, eò quod iudex absolute inquirat, ut manifestetur reus? Respondet *Navarr*: regulariter subditos non esse ita ignaros obligationis suæ: & debere Prælatum, quos novit minus prudentes instruere, ne pandant occulta (nisi in casibus supra in sinuatis n. 6.) id quod facili negotio Prælatus præstare potest, absq; eò, quod populo suspicionem ingerat favoris erga criminosos, legendo illis formulam inquisitionis aut interrogando solùm, an sciant rumorem esse, vel famam contra aliquem in particulari tanquam auctorem istius delicti.

9. Ex quibus facile colligitur, quid dicendum de inquisitione mixta speciali

R 5

quoad

quoad personam, & generali quoad delictum ignotum, utpotè jam generatim de scelere diffamatam v. gr. quod sit vitæ scandalosæ, improbæ, &c. ut enim persona huiusmodi à Reo distincta in testem vocari, & à iudice juridicè interrogari valeat requiritur communi jure ipsius personæ publica infamia, ut supra dictum n. 3. 4. 5. 7. Nisi in casu aliquo adsit notorium juris, aut facti, de crimine à tali persona perpetrato, id enim plus est quàm infamia, & evidentia facti locum supplet accusatoris *Can: manifesta. 2. q. 4. cap. evidentia de accus:* undè si præcedente infamia licet jure inquirere, licebit etiam cum res est notoria, ut cum Reus confessus est crimen occultum in iudicio etiam coram paucis & ex occasione ut coram suo iudice, & notario juxta *cap: 1. de accus: in 6.* id enim vocant *notorium juris* secus si confessio facta sit extra iudicium, nisi ex ea orta sit infamia, juxta *Navar: in rub. de jud: n. 66.* tametsi contrarium in praxi servari notat *Less: lib: 2. cap: 29. dub: 15. n. 124. & dub: 17. num: 157.* Eademq; ratio est, si iudici per inquisitionem generalem præcedenti innotuit

notuit auctor, ut contra Sotum cum Navar: docet *Lessius sup. dub. 15. num: 24.* esto fortè testis revelando peccaverit, occasione cujus.

10. Dubitatio moveri potest, an iudice in prædicto casu generaliter inquirente de crimine quod notum est, Reus teneatur seipsum prodere, si iudex inquirendo generaliter inter alios Reum interroget quis delictum commiserit? Ratio dubitandi est, tum quia iudex in hoc casu iure generaliter interrogat, tum quia in *Can: quidam maligni 5. q. 1.* cum quidam nocturno silentio libellum infamatorium contra Notarium Pontificis divulgasset jubet Gregorius Pontif: ut se prodat, & crimen objectum probet publicè accusando, alioqui si id non præstet, abstineat à perceptione Eucharistiæ, sin minus, sit excommunicat<sup>o</sup>. Respondeo negativè, quia etiam si verum sit iudicem licitè instituere posse inquisitionem generalem, juxta dicta supra *numer: 6.* non tamen jus habet ipsum Reum in particulari interrogandi, sed ad hoc oportet, ut præcedat vel plena, vel semiplena probatio, fama, aut indicia.